



I. Abtheilung: Abhandlungen.

Utrum sacra scriptura sub una litera habeat plures sensus.

Commentaria Cajetani modernis usibus adaptata, notis illustrata, aucta.

Praenotanda de Quaestione in generali secundum
Cajetanum.

Primum: Duplicem distinguit s. Th. sensum literae s. Scripturae, litteralem et spiritualem, et hunc triplicem, scilicet allegoricum, moralem et anagogicum, de quibus omnibus S. Th. in corpore articuli accurate definit. (cf. etiam Quodl. 7. 9. 6. a 15.) Secundum hoc sensus quaesiti potest duplex esse primo, utrum necne s. Scripturae litera praeter sensum litteralem, i. e. a verbis immediate dependentem et ut talem ab auctore intentum, possit¹⁾ in se comprehendere sensum spirituales, qui licet in se multiplex sit, (v. g. allegoricus, moralis et anagogicus simul) tamen unum specie sensum prae se ferat, sensum scilicet super litera fundatum, qui ad plura significanda se extendat. --; secundo: utrum necne litera s. Scripturae possit in se continere duplicem sensum litteralem. De utroque quaesito est doctrina literae.

Secundum: Duo sunt principia, quibus argumentatio s. Th. innititur: primum est: eo quod auctor s. Scripturae est Deus, in eius potestate est, ut non solum voces ad significandum accomodet, (quod etiam homo facere potest) sed etiam, modoque ipsi proprio res ipsas. — secundum est: auctor s. Scripturae

¹⁾ Sensum spirituales non ubique existere est consensus fere unanimis exegetarum. Idem tenendum est de sensu litterali multiplici a. s. Th. asserto.

Deus, omnia simul suo intellectu comprehendens, sicut plura vera uno conceptu comprehendit, ita etiam haec plura vera concepta una locutione potest significare¹⁾ Primum principium adhibet s. Th. ad demonstrandam responsionem affirmativam ad primum quaesitum, secundo utitur ad demonstrandam multiplicitem sensus strictae literalis in una litera existem.

Prima Conclusio: Sacra litera sub una litera habet plures sensus scilicet: literalem et spirituale.n, et hunc triplicem.

Probatur ex differentiâ inter hanc scientiam et alias, ex differentia inter auctores, derivatâ.

Auctor huius doctrinae est Deus, ceterarum homo.

Ergo in potestate hujus auctoris est accomodatio et vocum et rerum ad significandum modo, quo non est in potestate auctoris aliarum: ergo in caeteris scientiis voces tantum significant,²⁾ in hac vero et voces, et res; ergo in hac est duplex sensus, scilicet, literalis, et spiritualis. Omnes consequentiae patent. Et ultima declaratur: quia juxta significationem vocum attenditur sensus literalis: juxta significationem autem rerum attenditur sensus mysticus. Quoad secundam vero partem declaratur distinguendo triplicem figurationem, ut clare patet in litera.

Circa hanc partem nota, quod, cum accomodare res ad significandum nihil aliud sit, quam facere eas esse non solum res, sed signa aliarum rerum, dupliciter intelligi potest res fieri signa. Uno modo in ipsa generatione rerum, ut scilicet simul fiant ad hoc, ut sint res et signa aliarum rerum. Alio modo adventitiae, ut res jam factae accipiantur ut signa.

Si accomodatio rerum ad hoc ut sint signa, sumatur hoc secundo modo, non est proprium Dei, nec excedit hominis facultatem accomodare res ad significandum: nec est proprium hujus scientiae, quod res significant, quoniam res gestae narratae in aliis historiis possunt ab homine interpretari, ut signa aliarum, non solum per modum imitationis, ut gesta fortia antiquorum imitanda sint à successoribus, sed per modum significationis ut scilicet gesta illa ut signa habeantur gerendorum.³⁾

Si autem sumatur accomodatio rerum ad significandum primo

¹⁾ »Das, was bei Menschen durch verschiedene Denkaete erfasst und darum auch in verschiedenen Sätzen ausgesprochen wird, kann vom hl. Geiste in einem Blicke zusammengefasst und so auch in einem Ausdruck zusammengedrängt werden.« Scheeben, Handbuch der kath. Dogmatik. I. B. S. 119.

²⁾ vel, si voces et res, tamen limitato modo, ut statim a Cajetano exponetur.

³⁾ Res gesta potest pictura repraesentari (v. g. consecratio ecclesiae pictura repraesentari potest) talisque pictura potest adhiberi ad significandum, idem gerendum esse alia vice. Ergo non solum per modum similitudinis vel parabolae utimur aliquibus rebus ad circumloquendum, ut ait Joh. a. s. Th. (Curs. theol. t. I, quaestio I, primae partis XIII) sed, ut ait s. Th., ipsis rebus ut signis futurorum utimur.

modo, dupliciter potest intelligi, scilicet universaliter, et particulariter. Si particulariter, sic non excedit hominis potestatem: nam quilibet potest facere aliquos actus, vel aliquod artificiale, et faciendo illa intendere per illa significare aliam rem, ut patet.²⁾ Sed quod omnia, quae narrantur gesta in tot historiis, ut res ad doctrinam aliquam spectantes ut sic sint ex sui constitutione signa aliarum rerum, hoc excedit humanam facultatem, hoc Dei est proprium, in hoc haec doctrina caeteras scientias excellit est igitur sensus litterae, quod accomodare res **universaliter** spectantes ad doctrinam ad hoc, ut signa sint, cum fiunt, est proprium huius doctrinae, quia hoc a solo auctore **huius doctrinae** fieri potest; non enim ex adinventione nostra petra, de qua fluxit Judaeis aqua in deserto, facta est signum Christi, sed ad hoc ex illa petra fluxit aqua, ut in veritate esset fons aquae et esset signum Christi, qui fons est aquae spiritualis, dicente Apostolo ad Corinthicos I cap. X: Bibebant de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus, et sic de aliis.

¹⁾ Sensus doctrinae Cajetani hic esse videtur: Potest quis connaturaliter aliquam futuram, i. e. ab ipso in futuro instituendam doctrinam mente praecognoscere et aliquem actum ponere vel aliquod artificiale, edere, quod, ut est taliter constitutum ab ipso, intrinsecam connaturalemque connexionem cum futura doctrina ut signum eius habeat; sed non potest homo connaturaliter plurima in suis gestis et artificialiter positus dicto modo ordinare: potest particulariter, ut ait Caietanus, non potest universaliter. Rationem vero Cajetanus non ministrat: sed in eo consistere videtur, quod hominis connaturalis fragilitas non sinat eum in multis suis actibus seu artificialiter positus rationem signi maximeque signi perfecte adaequantis cum ratione **physica** ut ita dicam actus vel artefacti, coniungere. Connaturale est enim hominis, ut experientia quotidiana probatur, in multis deficere, cuius signum evidens in arte est, quod perpauca artefacta omnem perfectionem adaequant. Sed maxima, immo immensa circumspecto, sagacitas, mentis continuata praesentia exigitur, ut homo in plurimis suis gestis rationi rei coniungat rationem signi alicuius futurae doctrinae, maxime ut haec systema sonat, sub quo respectu res signum non solum alicuius puncti, sed totius doctrinae, seu **alicuius puncti ut cum toto essentialiter cohaeret**, esse debet. Et secundum hunc modum argumentatio Cajetani procedere videtur, ita ut abstrahat omnino a certitudine infallibili, qua signum aliquando verificetur et ipsa doctrina mente praecognoscatur aliquando instituatur. Ceterum argumentatio Cajetani etiam ex hoc vim plurimam habet, quod nunquam evenit, quod homo aliquis doctrinam mente praecognoscatur prius multis gestis ut signis expresserit, postea illam ipsam tradiderit sed doctrinae expositio et signorum ipsam explicantium editio in unum idemque tempus concidunt. Ergo, dato quod Deus ipse est auctor s. scripturae, concipitur optime secundam hanc explicationem Cajetani, tum quod Deus possit facere rem esse signum alterius rei, id quod etiam ab hominibus non est alienum, tum quod solius Dei est, universaliter res facere esse signa aliarum rerum.

Et haec quidem ita dicenda videntur.

Verumtamen aliter Joh. a. s. Th. (l. c.) rem explicat, cum scribit: »Res aliquas designare ad aliquid significandum stat dupliciter. Uno modo generaliter sicut per modum similitudinis vel parabolae utimur aliquibus rebus ad circumloquendum, et non solum vocibus. Alio modo possunt res aliquae designari spe-

Secunda Conclusio: Non inconvenit, in una litera scripturae secundum sensum literalem esse plures sensus.

Probatur dupliciter, primo ratione. Auctor scripturae sacrae est Deus, omnia simul suo intellectu comprehendens. Ergo non inconvenit etc.

Probatur consequentia: quia sensus literalis est, quem auctor scripturae intendit.

Prob. secundo auctoritate Augustini 12 Confessionum.

Argumenta contra prolata.

Si sensus literalis potest multiplicari, nulla erit certitudo, quis sensus sit intentus ad literam, quolibet praeferente suam expositionem interpretationi alterius. Cum enim de intentione Dei non aliter constet, oportebit omnes literae expositiones ut literales acceptare aut nullam.

Ad hoc breviter dicitur, quod litera habens multas expositiones, dupliciter se potest habere ad illas. Primo compatiens illas tam absolute, quam in ordine ad reliqua,¹⁾ quae sunt fidei, et tunc multitudo expositionum literalium ad exercitationem nostram confert, dignitatie auctoris attestatur, ut Augustinus ibidem vult²⁾ Secundo, ut compatiens illas in se, non tamen collatas cum aliis literis sacrae scripturae. Et tunc ex tali collatione excludi possunt omnes illae interpretationes repugnantes, non repugnantes vero admitti: Sicut enim in responsione ad I in litera dicitur: nihil necessarium ad salutem continetur in sacra scriptura, quod non per literalem sensum alicubi manifeste tradatur; quamvis in aliqua litera obscure habeatur propter multitudinem expositionum.

cialiter ad significandum aliquid modo mystico, id est, per modum finis vel medii in supernaturalibus seu spiritualibus. Et hoc modo solum pertinet determinare res ad significandum ad illum, ad quem pertinet ordinare ad spiritualem vel supernaturalem finem, quia solum ipse potest tradere signa certa et determinata erga talem finem, sicut patet, quod solus Deus vel auctoritate ipsius possunt institui sacramenta, quae sunt signa gratiae. Non est autem sic de vocibus, quia voces, quibus significamus res supernaturales non sunt aliae quam usuales et communes in tota re publica, neque enim specialem linguam debebat Deus instituire ad communicationem verum supernaturalium. Unde s. Thomas quodlib. VII art XVI absolute docet, in nulla alia scientia praeter istam inveniri posse sensum mysticum seu spiritualem, quia Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum mysticum rerum suae providentiae subiectum. Quia ergo homines non possunt res subiectas divinae providentiae sic determinare, ut significant significatione certa et determinata ea, quae ordinata sunt ad talem finem, ideo non possunt sensum mysticum instituire.»

Haec quidem rectissime dicta sunt, sed nemo non videt, his minime rationem argumentandi teneri, quam Cajetanus adhibet. Ipse arguit ex »particulariter« et »universaliter«; ergo in omnibus aliis rationibus seu respectibus Dei operandi modus et hominum in determinato ordine possunt convenire — saltem de hoc non curatur — sed in illa ratione non possunt convenire.

¹⁾ Id est compatiens collatas cum ceteris litteris sacrae Scripturae. Absolute idem est ac sumpta in se ipsa.

²⁾ In hoc casu omnes expositiones admittendae sunt.

Et si deficeret collatio literae obscurae ad manifestandum, nunquam tamen deest collatio ad S. Eccles. auctoritatem, a qua non solum certificari possumus de literalis sensu scripturae, sed certi facti sumus de scriptura ipsa. Evangelio (inquit Augus. in epist. contra Fundamentum) non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiae admoneret.

Pars addita.

Primum additum:

Auctoritate ss. Patrum pro modernorum temporum indole accurate probandam esse thesin s. Th. de multiplicitate sensus stricte literalis nemo non videt. Hanc probationem suppeditavit P. V. Zapletal O. P. in suo opere: *Hermeneutica biblica* (Friburgi Helvetiorum. 1897) p. 23 sqq.

Secundum additum:

Quod s. Th. docet in Summa, prius iam in aliis operibus suis asseruerat.

a) „Hoc enim ad dignitatem divinae Scripturae pertinet, ut sub una littera multos sensus contineat, ut sic et diversis intellectibus hominum conveniat, et unus quisque miretur, se in divina scriptura posse invenire veritatem, quam mente concepit... Unde non est incredibile, Moysi et aliis sacrae Scripturae auctoribus hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quae homines possent intelligere, ipsi cognoscerent et ea sub una serie literae designarent, ut sic quilibet sit sensus auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab expositoribus sacrae Scripturae literae aptentur, quae auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus sanctus intellexerit, qui est principalis auctor divinae scripturae. Unde omnis veritas, quae salva litterae circumstantia potest divinae scripturae aptari, est eius sensus.“ (De potentia, 94 a 1.)

b) „Auctoritati Scripturae in nullo derogatur, dum diversimode exponitur, salva tamen fide: quia maiori veritate eam Spiritus sanctus foecundavit, quam aliquis homo adinvenire possit.“ (In 2. Sent. Dist. 12. 91 a 2 ad 7^{um})

Tertium additum:

Quia plerique recentiorum (cf. hac de re praecipue Fr. Schmid: *De inspirationis biblicorum vi et ratione*. Brixinae 1885; p. 255 sqq) doctrinam s. Th. de possibilitate multiplicis sensus literalis non admittunt, haud abs re erit, eorum objectiones afferre et crisi subicere. Sed quia cl. Zapletal in suo citato opere hoc iam praeclare instituit, ea, quae ipse hac de re habet, simpliciter exscribemus:

Obi. I. Multiplex sensus literalis non videtur admittendus; etenim, ut optime argumentatur P. Patrizi: vocum ac locutionum natura in Scriptura alia non est ac in ceteris libris; quare ergo aut quomodo alia erit in Bibliis natura sensus literalis, qui ex ipsis dumtaxat vocibus et locutionibus exstat? Profecto

Spiritus S., si per homines hominibus humano sermone loquitur, nulla prorsus appareat ratio, cur sermonem humanum natura sua privasse dicatur (Cornely, S. J., l. c. pag. 524.)

Resp. Praeviderat hanc objectionem jam Bannez dicens (l. c.): »Taliter (Deus) locutus est per Scriptores sacros, ut in quibusdam locis indifferens Scriptura maneret, ut multipliciter posset a nobis intelligi. Id quod inter amicos usu venire solet, ut amicus amico litteras mittens, aliquas ex professo aequivocas sententias scribat, quae multipliciter juxta leges amicitiae possint intelligi, ut amicus in illis sese exerceat suavi aequivocatione detentus.« Revera, non est contra naturam linguae humanae, multiplicem habere sensum litteralem, etsi id non sit ordinarium. Exempla sint »lege facienda disces« quod duobus modis intelligi potest: in legibus stude; ita disces, quid faciendum sit, et: lege, quia legendo facienda disces. Et illud Gen. 2. 15: »Posuit (Deus) eum (Adamum) in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum,« ubi vox »illum« tam in latino quam in textu hebraeo et ad Adamum et ad paradikum referri potest. Aliud exemplum praebent verba Caiphae (Joan 11. 50.): »Expediit, ut unus homo moriatur pro populo et non tota gens pereat«, quae verba sequentem sensum habent in ore Caiphae: melius est, ut unus homo invitus moriatur, quam ut propter ipsum tota gens pereat. Praeterea autem exponi possunt: Melius est, ut unus homo sponte moriatur et morte sua populum liberet. Ad hunc alterum sensum alludit Evangelista dicens, Summum Pontificem hoc modo prophetasse.

In st. I. Etsi quaedam propositiones in se diversum sensum habeant, contextu tamen semper ad unum determinantur.

Resp. Negandum est, contextum semper id efficere, quod bene novit quilibet exegeta.

In st. II. Si tam naturale est sermone humano, plures habere sensus, non erit hoc proprium s. Scripturae, quod tamen fautores multiplicis sensus litteralis asserunt.

Resp. Huius modi praerogativam attribuunt s. Scripturae, quia de facto nullus liber humanus majoris momenti invenitur, qui duplicem sensum litteralem ex intentione auctoris contineat. Quod si talis liber sit, nihilominus maxima apparebit differentia in sublimitate idearum, certitudine et maiestate dictionis.

Obi. II. »Cum de re extraordinaria et supranaturali agatur, quae tota quanta a libera voluntate dependet, illa asseri nequit, nisi argumenta solide ex revelationis fontibus, ex Scriptura dico et ex traditione, illam adstruant et stabiliant. Atqui argumenta haec prorsus desunt; ex enim, quae invenisse sibi videntur multiplicis sensus patroni, infirma sunt.« (Cornely l. c.)

Resp. Solutio patet ex eis, quae jam dicta sunt.

Obi. III. »Regulae hermeneuticae ab omnibus interpretibus et ab ipso s. Augustino eum in finem traduntur, ut earum ope genuinus sensus eruatur; jam vero si quis regulis his rite et debito modo adhibitis ad unum sensum certum pervenerit, a regulis ipsis aberrare deberet, si alterum praeter eum investigare vellet. Ad quid igitur regulae illae inserviunt?« (Cornely l. c.)

Resp. Regulis illis bene utuntur etiam patroni sensus litteralis multiplex, parva cum modificatione. Concedunt in libris humanis eas semper esse adhibendas, cum (ut) ut dictum est, non inveniatur liber humanus, saltem maioris momenti, qui plures sensus litterales contineat. Quantum ad S. Scripturam, eas regulas absque ulla modificatione adhibere, esset a priori concedere, s. Scripturam nullibi plures sensus litterales praesefere. Cum etiam in hypothese multiplex sensus hic in paucis tantum textibus inveniatur, ubi nulla est ratio plures sensus quaerendi, exegeta regulas simpliciter observabit. Ubi autem adest ratio aliqua, interpres inquireret unum sensum certum. Si autem praeter eum etiam alius adest, qui in se est verus et neque primo, qui certus est, neque alii s. Scripturae dictis contradicit, tunc etiam hunc alterum sensum juxta principia sua ut sensum verum admittere potest.

Obi. IV. Sensus litteralis multiplex dicitur adesse in paucis tantum locis s. Scripturae, non vero in universa; ad quid ergo tota haec doctrina?

Resp. Neque sensus spiritualis ubique existit et tamen est admittendus, ut infra probabitur. Non totum corpus humanum est oculus et nihilominus oculus in eo invenitur.

Obi. V. Obstat praxis exegetica omnium interpretum, etiam eorum, qui multiplicatam illam tuentur; in praxi enim non sunt contenti recensere solummodo plures sensus philologicè probabilis, sed omnes conmittuntur, ut e pluribus sensibus philologicè probabilibus assequantur illum sensum, quem spiritus s. substraverat, secus enim sufficeret, recensere omnes alicuius loci sensus philologicè possibiles. Quare celeser alias exegeta nuper scripserat, non amplius esse verum illud (Werenfelsii) de s. Scriptura dictum:

»Hic liber est, in quo quaerit sua dogma quisque,
Invenit et pariter dogmata quisque sua.«

Resp. »Ad hoc breviter dicitur, quod littera habens multas expositiones, dupliciter se potest habere ad illas. Primo compatiens illas tam absolute, quam in ordine ad reliqua, quae sunt fidei. Et tunc multitudo expositionum literalium ad executionem nostram confert dignitatem Auctoris attestatur, ut Augustinus ibidem vult. Secundo ut compatiens illas in se, non tamen collate cum aliis litteris s. Scripturae. Et tunc ex tali collatione excludi possunt omnes illae interpretationes repugnantes, non repugnantes vero admitti.... Et si deficeret collatio litterae obscurae ad manifestam, nunquam tamen deest collatio ad sanctae Ecclesiae auctoritatem, a qua non solum certificari possumus de litterali sensu Scripturae, sed certi facti sumus de Scriptura ipsa; »Evangelio«, inquit s. Augustinus, »non crederem, nisi me auctoritas Ecclesiae admoneret.« (Cajetanus in Comment. ad I Summae a. I. a. 10.) Hoc modo sibi rem repraesentat doctissimus patronus multiplicis sensus litteralis, et bene. Ut enim in parte secunda Hermeneuticae biblicae probatur, interpreti sola inquisitio philologica non sufficit.

Obi. VI. Contra argumentum e s. Thoma. Quia durum est habere contra se s. Thomae Aquinatis auctoritatem, eum sensui multiplici non favere, adversarii ostendere conantur, immo audaciores ex eis dicunt, s. Thomam eorum opinionem tenere. Sic Cornely, saepius jam citatus, scribit (l. c. pag. 525): »Ad s. Thomae auctoritatem immerito provocatur. In uno quidem loco, in quo Augustinum sequens prima verba Geneseos exponit, cum illo sensui multiplici favet; at ibi quaestionem hanc obiter tantum attingit nec data opera agit; e contra in Summa theologica nostram sententiam tenet. Etenim etsi ibi quoque cum s. Augustino »non inconueniens esse censeat, si etiam secundum litteralem sensum in una littera scripturae plures sint sensus«, probe tamen animadvertendum est, ibi »sensum litteralem« latissime sumi: »sensus litteralis est, quem auctor intendit«, qua definitione etiam spiritualis sensus comprehenditur; ideoque etiam in prima obiectionis solutione monet, non ideo plures sensus in Scriptura esse admittendos, »quia una vox multa significat, sed quia ipsae res significatae per voces aliarum rerum possint esse signa?«

Resp. Habeant adversarii multiplicis sensus litteralis suam opinionem; plena enim libertate in hoc gaudent. At ne innocent S. Thomam tamquam patronum suum; Aquinas enim hac in re patrocinium eorum suscipere non vult.

Textu e Quaest. de Potentia s. Thomam sensui litterali multiplici favere, concedit ipse P. Cornely,¹⁾ quod libenter accipimus, sed praeterea tenemus, Doctorem Angelicum etiam in Summa theol. sensum liberalem multiplicem defendere, idque:

a) propter consensum scholae thomisticae. Principales thomistas supra allegavimus, erantque viri, qui per totam vitam suam opera s. Thomae legebant

¹⁾ P. Knabenbauer S. J. in »Stimmen a. M.-L.« 1885. 7. Heft p. 201 s. etiam hoc quidem negat, sed nostra responsio eius quoque argumenta respicit.

et exponebant. Norunt illi apprime eius modum loquendi et methodum, si ii igitur in textu illo s. Thomae vident assertionem sensus litteralis multiplicis, merito nos ad assentiendum cogunt, certe plus quam quidam recentiores, qui s. Thomae mentem non ita bene attingere possunt.

b) Propter verba s. Augustini a s. Thoma allegata. S. Augustinum loco citato multiplicem sensum litteralem docere, constat. Ergo s. Thomas, ea allegans, non asserit multiplicitem, quae a sensu litterali et spirituali exurgit, sed multiplicitem sensus vere litteralis.

c) Idem probat simplex analysis articuli, de quo est sermo. Angelicus Doctor primum distinguit sensum litteralem et spirituales, bene utrumque definiens, primum dicens a verbis immediate dependere, alterum immediate a rebus. Postea asserit sensum spirituales esse multiplicem i. e. allegoricum, tropologicum, analogicum. Demum defendit multiplicitem ipsius sensus litteralis, quam tenet cum s. Augustino: »Quia autem etc... non est inconueniens, si etiam secundum litteralem sensum in una littera s. Scripturae plures sint sensus.« Quod tam clarum est, ut ipse Beelen asserat, s. Thomam hic possibilitatem multiplicis sensus litteralis docere.¹⁾ Numquid ergo s. Thomas in fine articuli sensum litteralem latius sumit i. e. sub eo intelligit sensum etiam spirituales? Sibi ipsi contradiceret. Itaque verba, »quia sensus litteralis est, quem auctor intendit«, non sunt nova et quidem latior definitio sensus litteralis, sed motivum, ob quod in s. Scriptura sensus litteralis multiplex esse potest: Deus enim eum intendit, qui suo intellectu omnia potest comprehendere: quapropter non est inconueniens, dari etiam plures sensus litterales sub una littera.

Quod spectat ad objectionem ex responso s. Thomae ad primum desumptam, quod est: »multiplicitas horum sensuum non facit aequiuocationem aut aliam speciem multiplicitem, quia isti non multiplicantur propter hoc, quod una vox multa significet, sed quia ipsae res significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa,« scire oportet, objectionem esse unice de multiplicite causata ex sensu litterali et spirituali i. e. contra primam et principalem conclusionem articuli: et huic objectioni respondet s. Thomas, nihil dicens de eo, num etiam multiplex sensus litteralis aequiuocationem causare possit. »Divus Thomas ibi loquitur de sensibus mysticis, qui omnes fundantur super aliquo uno litterali, ita sane quod quilibet mysticus super unum aliquem litteralem... Divus Thomas nunquam negavit aequiuocationem esse in multiplici sensu litterali et mystico« (Bannez l. c.) »Divus Thomas ostendit nullam esse aequiuocationem, quando sub eadem littera continentur plures illi sensus, quos recenset: historicus siue litteralis, allegoricus, tropologicus et anagogicus, quia non continentur ex aequo sub eadem littera, sed unus est primus, sc. litteralis, super quem fundantur ceteri. Utrum autem admitti posset aequiuocatio, quando eadem verba habent plures sensus litterales, in hac responsione neque negat neque affirmat. (Sylvius l. c.)²⁾

Inst. I. Ergo sensus litteralis multiplex inducit aequiuocationem et eadem ratione confusionem in s. scripturarum.

Resp.: »Nec tamen sequitur aequiuocatio aut confusio ex ista pluralitate sensuum tum quia saepe isti sensus habent inter se aliquam similitudinem seu ordinem; ubi autem est ordo, non est aequiuocatio; tum quia multiplicitas sensuum tunc facit aequiuocationem, quando est occasio deceptionis, quando in altero sensu potest esse falsitas. Quando autem uterque sensus est verus, sicut necessario est hoc ipso, quod a Deo est dictus litteraliter, nulla est occasio deceptionis neque aequiuocationis; sed potius pertinet ad mysterium et ad maiestatem dicentis, quod

¹⁾ Cf. Beelen, l. c. pag. 127.

²⁾ Ita patet quoque, quid dicendum sit de verbis P. Knabenbauer l. c.: Hielt er den multiplex sensus litteralis für zulässig, so musste er den Obersatz verneinen; er aber gibt ihn als selbstverständlich zu und ist nur darauf aus, zu zeigen, dass der sensus litteralis und spiritualis keine multiplicitas einschliesse.

possit unica oratione plures sensus amplecti et significare.« (Joan. a. S. Thoma: Cursus theol. q. I. Primae Partis, Disp. II. a. XII.)¹⁾

In st. 2. S. Thomas (Quodl. 7. q. 6. a. 16) s. Scripturam ceteris libris solo sensu spirituali praecedere docet.²⁾

Resp. Doctor Angelicus quaerit in l. c. unice de hoc, num sensus spiritualis inveniat etiam in libris humanis. Et ad hanc quaestionem respondens nihil aliud dicit ad Ium quam: »ad primum ergo dicendum, quod in aliis scientiis proceditur ex similibus argumentando, non quod ex verbis, quibus una res significatur, significetur alia res.« Ut homo sapiens ad quaesitum respondet, aliud non tangens.

De sensu litterali multiplici egregia quaedam affert P. Gillius S. J. in suo opere: Commentarium theologicum de sacra doctrina et essentia atque unitate Dei libri duo. Lib. I. tract. VII. cap. IV.

Primo, postquam asseruit probabile esse eundem scripturae locum habere plures sensus litterales citando pro hac sententia verba s. Th. in hoc articulo habita, hoc sibi obicit: „Verum se offert non levis difficultas, quia non est credendum, D. Th. sibi in eodem art. contradicere; contradicet autem si ita intelligatur; cum enim in primo argumento obiecisset multipliciter sensuum parere confusionem atque aequivocationem, quae a sacris litteris removenda est, respondet negando eiusmodi multitudinem sensuum facere aequivocationem, quoniam non ita multiplicatur, ut una vox multa significet, sed ita, ut res ipsae significatae per voces aliarum rerum sint signa. Qua responsione supponit, si immediate per voces multa significantur, dari confusionem et aequivocationem alienam a sacris litteris: sensus autem litteralis etiam de mente Div. Th. est, cum res significatur immediate per voces, atque adeo, si sint plures, erit confusio et aequivocatio.“

Ad quod respondet: „Ratio dubitandi solvitur dicendo primum illud argumentum solum procedere de multipliciter sensuum alterius litteralis, aliorum mysticorum, de qua ex instituto agit D. Th., quamvis per transennam addiderit etiam illud de sensuum

¹⁾ Sylvius (l. c.): »Juxta s. Thomam (III. q. 60. a. 3. ad Ium) tunc est signum ambiguum praebens occasionem fallendi 1. quando significat multa ad unum non ordinata, vel 2. quando is, qui signum illud assumit non intendat ea multa significare, sed solum unum ex illis, vel 3. si intendat quidem ista multa significare, intendat ea significare disiunctive et cum animo fallendi.«

²⁾ Der hl. Thomas sieht den Unterschied in Betreff des Sinnes bloss darum, dass die hl. Schrift den sensus spiritualis habe, d. h. quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud, quod per spirituales sensus accipitur. Also hier kann man nur sagen: entweder hält der hl. Thomas den sensus multiplex litteralis für etwas so Selbstverständliches, dass er allen profanen Büchern auch innewohne, oder er stellt ihn ganz und gar auch für die hl. Schrift in Abrede; mit andern Worten: »er kennt ihn gar nicht« Knabenbauer (S. J. l. c. pag. 202.). Knabenbauer prosequitur: »Ebenda ad I. schneidet er nochmals dem multiplex sensus litteralis die Lebenswurzel ab, indem er es für durchaus unzuverlässig erklärt, ex verbis, quibus una res significatur, significari etiam aliam rem.« Textum secundum non invenio l. c.; fortasse loquitur P. Knabenbauer de verbis ad Ium art. 14, ubi tamen s. Thomas solum de modo loquitur, quo sensus spiritualis continetur in s. Scriptura.

litteralium pluralitate, et ideo sufficienter solvi argumentum dicendo, non esse aequivocationem, quando plura ita significantur, ut unum significetur proxime per verba, reliqua remote per res significatas; an vero, quando plura per vocem significantur, sit semper aequivocatio fallax, non dici a D. Thoma, quandoquidem id non erat necessarium ad solutionem argumenti et proprii instituti, an vero sit, infra dicam.“

Secundo notat: „In hoc significandi modo nulla est deceptio. Tunc enim multiplex vocabulum est sophisticum ac deceptorium, cum in uno sensu conceditur a respondente, et in alio sumitur ab arguente ad eum cavilandum: at si loquens utrumque sensum intendat, tunc sub utrolibet accipi potest ejus assertio ab audiente absque praeiudicio veritatis et periculo deceptionis: et ita constat sententiam affirmantem non continere ullum absurdum. Iam vero hanc foecunditatem scripturae quoad sensus litterales magis decere gloriam Dei patet: quoniam, quicquid Deo attribuimus supra communem usum mortalium, magis dignum censi debet, auctoritas vero scripturarum major est, si eos aestimemus omnes tanquam vivum sapientiae thesaurum, sive etiam fontem iugi divinarum sententiarum vena scaturientem; hoc enim ipso majori venerationi habentur, quo plures sensus latent iuxta dictum Aug. lib. 12 confess. cap. 14: Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficiens blandiens, sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas: horror est intendere in eam, horror amoris.“

Tertio: „Ad rationem plurium sensuum opus est ut obiecta significantur non solum quatenus conveniunt, sed etiam quatenus differunt, verbi gratia cum dicitur Is. 53: Generationem eius quis enarrabit? significatur utraque generatio Christi, aeterna et temporalis, non solum secundum rationem analogicam generationis, sed etiam unaquaeque secundum suam propriam, eodemque modo quaevis alia omnino diversa significari possunt iisdem scripturae verbis, dummodo tamen contineantur in significatione vocum propria vel metaphorica, et ita Salmeron (Prologomeno 8 et 9 can. II) notat, unam ex radicibus multiplicationis sensuum litteralium esse diversam et aequivocam significationem verborum Hebraicorum. Cur enim, si verba sint aequivoca, non poterit Spiritus S. uti simul utraque eorum significatione? sane non video in hac re ullam repugnantiam, aut indecentiam, nec est vitium ullum, plures sententias iisdem verbis oculere: haec enim est una ex causis, cur testimonia Dei sint mirabilia, ps. 118. qui etiam subdit: ideo scrutata est ea anima mea; nam profunditas ac foecunditas scripturarum ad studium et contemplationem ipsarum invitat.

Quarto advertit Gillius, non oportere, quod omnes sensus litteralis sint a Scriptore sacro intellecti atque intenti. „Quamvis

namque fieri potuerit, ut scriptor sacer plures sensus intellexerit, ut sumitur ex Augustin. toto fere libro 12 confess. maxime cap. 31, tamen non apparet nulla necessitas ut docet Sylvest. in rosa aurea tract. 1 ca. 2. et D. August. cit. lib. 12. confess. postquam cap. 31 probabiliter asseruit, Moysen pervidisse omnes; illos sensus veros, de quibus erat controversia, ne videretur in hoc constituere rationem sensus veri litteralis, subdit cap. 32 sequente: Postremo Domine, qui Deus es, et non caro et sanguis, si quid homo minus videt, numquid et spiritum tuum bonum qui deducit me in terram rectam, latere poterat, quicquid eras in eis verbis tu ipse revelaturus in gentibus posteris, etiamsi ille, per quem dicta sunt, unam fortassis ex multis veris sententiam cogitavit.“ Similia docet lib. II de civ. cap. 19 Adstipulatur autem ratio Augustino nam vel hoc requiritur ad rationem revelationis, vel ad auctoritatem scriptoris, vel ad aedificationem ac certitudinem nostram; non ad primum: nam doctores communiter asserunt et adversarii admittunt plerosque sensus mysticos latuisse scriptorem sacrum, nec proinde non desinunt esse revelati ex intentione Spiritus sancti; non ad secundum, quoniam, ut scriptor sacer non dicatur simplex amanuensis, sat est si vel unum sensum intelligat, qui proinde principalis sit, ut ait D. August. loco proxime citato, nec derogat auctoritati scribae, si non omnia prorsus arcana, quae litteris continentur, intelligat, dummodo praecipui negotii notitiam habeat. Denique ad aedificationem et certitudinem nostram parum id facit, quandoquidem principium firmum totius certitudinis veritatum revelatarum nititur prima veritate per suos internuntios loquente, atque adeo, sive illi intelligant, sive non, dummodo sententia proponatur a Deo revelata, certissima est; quin vero esto ponamus eos intelligere, quid id nobis prodest, quibus incertum est, utrum intellexerint nec ne.“

Pragae, (Emaus).

P. Greg. de Holtum, O. S. B.

Die ersten Anfänge des Benedictinerstiftes Braunau in Böhmen.

Von P. Laurentius Wintera.

(Schluss zu Heft II.—III. 1901, S. 320—333.)

Abt Martin I. starb im Jahre 1278. Sein Nachfolger Christannus erlebte harte Zeiten, die damalige Glanzperiode Böhmens hatte ja mit dem Tode Přemysl Ottokar II. am Lechfelde ein Ende, die Vormundschaft des berüchtigten Otto von Brandenburg begann, Stift Břewnov brannte nieder, die Unruhen, offene Räuberein im Lande, Wolkenbrüche, Ueberschwemmungen, eine schreckliche Hungersnoth: dies alles hatte seine schlimmen